BIBLIA LATINA

Klosterneuburg, um 1310/1315 Seite 112v

Quelle: http://manuscripta.at/?ID=445
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

phat. ut respondeam preceptis chaldeorum
qui mittuntur ad nos. Vos autem
colligite vindemiam. et messem. et ole
um. et condite in vasis vestris: et remane
te in urbibus vestris quas tenetis. Sed et
omnes iudei qui erant in moab. et
in filiis ammon. et in ydumea. et in u
niversis regionibus. audito quod dedisset
rex babylonis reliquias in iudea.
et quod preposuisset eis godoliam filium
aycham. filii saphan: reversi sunt
inquam omnes iudei de universis
locis ad que profugerant: et venerunt
in terram iuda. ad godoliam in mas
phat: et collegerunt vinum et messem
multam nimis. Johanna autem filius
caree. et omnes principes exercitus qui
dispersi erant in regionibus venerunt
ad godoliam in masphat. et dixerunt
ei. Scito quia baalis rex filiorum am
mon. misit ysmahel filium nathanie percu
tere animam tuam. Et non credidit
eis godolias filius aycham. Johanna
vero filius caree dixit ad godoliam se
orsum in masphat loquens. Ibo et
percutiam ysmahel filium natha
nie. nullo sciente. ne interficiat
animam tuam: et dissipentur omnes
iudei qui congregati sunt ad te. et peribunt
reliquie iuda. Et ait godolias filius
aycham. ad iohannam filium caree.
Noli facere verbum hoc: falsum enim
tu loqueris de ysmahele. Cap. xxxi.

Et factum est in mense septimo
venit ysmahel filius na
thanie. filii elysama. de
semine regali. et optimates regis. et
x. viri cum eo ad godoliam filium
aycham filii saphan. in masphat:
et comederunt ibi panem simul in
masphat. Surrexit autem ysmahel
filius nathanie. et x. viri qui erant
cum eo. et percusserunt godoliam fi
lium aycham. filii saphan. gladio:
et interfecerunt eum quem prefecerat
rex babylonis terre. Omnes quoque
iudeos qui erant cum godolia in
masphat. et chaldeos qui reperti sunt
ibi. et viros bellatores percussit ysma
hel. Secundo autem die postquam percusse
rat godoliam nullo adhuc sciente.
venerunt viri de sychem. et de sylo. et
de samaria. octoginta viri. rasi bar
bam. et scissis vestibus. et squalentes:
munera et thus habebant in manu. ut
offerrent in domo domini. Egressus
ergo ysmahel filius nathanie in oc
cursum eorum de masphat. incedens
et plorans ibat. Cum autem occurrisset
eis: dixit ad eos. Venite ad godoliam
filium aycham. Qui cum venissent
ad medium civitatis. interfecit eos
ysmahel filius nathanie. circa me
dium laci ipse et viri qui erant cum
eo. Decem autem viri reperti sunt
inter eos. qui dixerunt ad ysmahel.
Noli occidere nos: quia habemus the
sauros in agro frumenti. et ordei. et olei.
et mellis. Et cessavit. et non interfecit
eos cum fratribus suis. Lacus autem in
quem proiecerat ysmahel omnia ca
davera virorum quos percussit propter go
doliam. ipse est quem fecit rex asa
propter baasa regem israel: ipsum reple
vit ysmahel filius nathanie occi
sis. Et captivas duxit ysmahel omnes
reliquias populi qui erant in masphat.
filias regis. et universum populum qui
remanserant in masphat. quos
commendaverat nabuzardan princeps
milicie godolie filio aycham. Et
cepit eos ysmahel filius nathanie:
et abiit ut transiret ad filios amon.
Audivit autem iohannam filius caree.